Valentina Vicariæ.

1 Reu. Pater. VTrumque caput obreptionis, & ſubreptionis, quo infectę dignoſcuntur Litteræ impetratæ à P. Vincentio Soler Aduerſario, vndequaque ſubſiſtit, ac propterea, non obſtantibus rationibus in contrarium deductis, certa ſpe confidimus reſcribendum fore prò reſiſtentia *in decisis*, vt demiſſis precibus exoramus.

2 Et quidem ſubſiſtit motiuum obreptionis ex eo reſultans, quod P. Soler narrauerit Pontifici Vicariam *de Taberna* tamquam perpetuam, in Titulum conferendam, remanere obnoxiam reſeruationi per *Conſtitutionem* 33. S. *Pii V.* inductæ ob non factam illius prouiſionem ad formam, & intra tempus præſcriptum à *Sac. Concilio Tridentino in ſeſſ.* 24. *de reformat. cap.* 18. Quia cum eadem Vicaria dubio procul ſit vnita Monaſterio Vallis Dignæ, ratione huiuſmodi vnionis plenariæ, ac ſubiectiuæ tàm in ſpiritualibus, quàm in temporalibus, nequaquam dici poterat in Titulum perpetuum conferenda intrà tempus à Concilio præſcriptum, neque ſubiecta *Conſtitutioni* 33. *S. Pii V.* ſed potius alteri *Conſtitutioni* 47. eiusdem Pontificis, vt latè oſtendimus in Reſtrictu §.14. *cum duobus ſeqq.*, & admittunt ipſimet Domini exaduerſo Scribentes, qui ſolum controuertunt plenariam, & ſubiectiuam vnionem dictę Vicariæ:

3 Totum itaque præſentis Cauſæ pondus in hac parte reducitur ad illam inſpectionem, an reuerà præfata Vicaria ſit plenariè, ac ſubiectiuè vnita Monaſterio Vallis Dignę nedùm in temporalibus, vt non inficiatur Pars aduerſa, verum etiam in ſpiritualibus, proùt nos conſtantiſſimè tuemur. Vnionem profectò plenariam, & ſubiectiuam euidentiſſimè conuincit littera donationis anno 1301. expletæ à tunc Epiſcopo Valentino cum ſui Capituli conſenſu; In ea ſiquidem apertis verbis exprimitur, quod præfatus Epiſcopus concedebat, & donabat Monaſterio Vallis Dignæ Eccleſiam Parochialem de Rafol cum *ſuis Iuribus, Primitiis, & Pertinentiis vniuerſis = noſtro præterito Summario num.* 1. *antè litt. B.*; Quæ verba, vtpotè generalia, totum deſignantia, & nihil penitùs excludentia, reſtringi nequeunt ad ſola temporalia, ſed pernecesſè compręhendunt etiam Iura Spiritualia, quæ ad Eccleſiam Parochialem de Rafol Monaſterio donatam indubitantèr pertinebant, vt ex punctualiſſimis auctoritatibus probauimus in Reſtrictu §.19.

4 Non releuante, quod in prędicta Donatione anni 1301. enunciata fuerit pertinentia Iuriſpatronatus fauore Abbatis, & qualitas

tas Tituli perpetui, & collatiui, quæ circumstantiæ vnionem plenariam, & subiectiuam excludunt; Verba enim transcripta in contrario *Restricta* §. 15. ibi = *Per vos &c. nobis ad eamdem Ecclesiam Clericus Secularis idoneus præsentetur, qui Vicarius sit perpetuus eiusdem Ecclesiæ &c.* non præseferunt verum, & proprium Iuspatronatus, quod sit vnioni aduersatiuum, sed illam nominationem fieri solitam Episcopo in Beneficijs vnitis prò reportanda Institutione authorizabili, ad hoc vt nominatus, vel præsentatus exercere possit animarum curam, vt apertè declarant verba subsequentia in eodem Restrictu adiecta ibi = *Qui quidem Vicarius &c. per vos &c. ad d. Ecclesiam præsentatus à nobis institutionem, & curam suscipiat animarum* = certum autem est, quod verbum *Præsentationis* promiscuè, ac prò synonimo vsurpari solet loco verbi *Nominationis*, quia præsentationes non tam Iurispatronatus titulo, quàm plenariæ, ac subiectiuę vnionis fieri dicantur, ex animaduersis per *Rot. decis.* 73. *num.* 18. *coram bon. mem. de Herrera, in Augustana Parochialis* 11. *Iunii* 1728. §. *Similitèr coram R. P. D. Millino* cum alijs adductis in nostro Restrictu §. 35., vbi etiam probauimus, quod verbum *instituere* passim adhibetur etiam in Beneficijs vnitis prò Institutione authorizabili ab Episcopo concedenda.

5 Neque vnionem potest interuertere Tituli perpetuitas, quia non repugnat, quod Vicaria sit vnita Monasterio, & conferri debeat in Titulum perpetuum, eo quia perpetuitas potest inesse aut ex lege particulari, aut ex qualitate speciali, quæ per accidens valet esse, aut abesse absque corruptione subiecti, vt firmant auctoritates allegatę *in nostro Restrictu* §. 39., ac signantèr *Rota in Nullius, seù Celsonen. Parochialis super Bono Iure* 3. *Decembris* 1728. §. *Quatenùs coram Reuerendissimo P. D. Aldrouando*, ibi = *Quælibet difficultas in hac etiam parte facilè eliminari visa fuit, animaduertendo tàm traditionem huius Vicariæ in Titulum perpetuum, quàm etiam illius enunciatam vacationem per obitum, rectè esse posse compatibiles cum ipsius vnione subiectiua relatiuè ad Monasterium Riuipulli, cùm vtraque possit intelligi respectu Curæ Actualis exercitæ à Rectore nominato per Abbatem, & separatæ à Cura habituali residente penès Monasterium*.

6 Certoque certiùs ex præsentatione, seù nominatione facienda per Abbatem non excluditur, imò confirmatur subiectiua, & plenaria vnio, quià Vicario sic præsentando, seu nominando, assignata fuit certa, & determinata congrua prò substentatione, reseruatis ceteris omnibus fructibus fauore Mensę Monasterialis *Summario dicto num. primo litt. B.* ex quo eruitur conuin-

vincentissima probatio vnionis, quia si Vicarius obtinere debuisset Curam in Titulum proprium, independentèr à Cura habituali pænès Monasterium existente, non fuisset vnicè prouisus de congrua manutentione, sed etiam de cæteris Ecclesiæ prouentibus, ex quibus valeret se substentare, ac etiam Iura Episcopalia soluere, vt firmauimus *in Restrictu* §.21.

7 Nil facessente, quod Episcopus in dicto Instrumento anni 1301. sibi præseruauerit Iura Episcopalia, quæ tàm lege Iurisdictionis, quàm Diœcesanæ competunt Episcopo, ex quo *in contrario Restrictu* §. 18., prætenditur exclusa vnio, eo quia Ecclesiæ pleno Iure vnitæ, sunt exemptæ ab vtraque lege Iurisdictionis, & Diœcesanæ. Obiectum namque vim aliquam ingerere forsan posset, quatenùs Episcopus non fecisset dictam expressam præseruationem, quià tunc ab exercitio Episcopalium Iurium ex vtraque lege competentium, inferri posset, quod Ecclesia non sit vnita, secùs tamen dicendum est, quando Iura Episcopalia in vim vtriusque legis competentia, fuerunt expresè reseruata per viam retentionis cum verbo illo *retinemus Summario dicto num. primo litt. C.*; Quia tunc retentio aliquorum Iurium spiritualium concludit cætera Iura Spiritualia, quæ non fuerunt præseruata, & retenta, consultò dici debere translata in Monasterium, cui attribuebatur Ecclesia Parochialis de Rafol *cum omnibus suis Iuribus, Primitiis, & pertinentiis vniuersis*, vt fuit probatum *in Restrictu* §. 21.

8 Generalitas vero concessionis, & donationis Ecclesiæ facta *cum suis Iuribus, primitijs, & pertinentiis vniuersis*, restringi non potest ad solum Ius præsentandi Abbati concessum, quando apparet, quod Episcopus ex Iuribus Spiritualibus retinuit solùm illa, quæ ipsi competebant in vim legis Iurisdictionalis, & Diœcesanæ, adeoùt cætera Iura Spiritualia fuerint translata in Monasterium donatarium; Nec applicabilis est *Decisio* 577. *num.* 17. *coram clar. mem. Cardinali Caprara*, quia in casu Decisionis prædictæ assignata fuerat Monasterio quædam sola pars redditaum, ex quo infert Sacra Rota, quod concessio non præseferebat vnionem, sed solum particularem fructuum dismembrationem; Quodque plus est, in eodem casu fuerat cautum expresè, vt Ecclesia Parochialis, retento eodem Titulo, haberet Parochum proprium, in quibus terminis dici non poterant vigore vnionis translata omnia Iura etiam spiritualia, quæ apud proprium Parochum remanebant.

9 Ex alio Instrumento anni 1369. in quo Episcopus indulsit Abbati, vt deputare posset Monachum in Vicarium Ecclesiæ prædictæ loco Clerici secularis, fortiùs comprobata remanet vnio plenaria, & subiectiua, tùm quia ipsa conuentio, quod Ecclesia

 Pa-

Parochialis administrari posset per Monachum, euincit plenariam vnionem, cum Regulares præfici solùm valeant illis Ecclesijs curatis, quæ sunt de Mensa Monasterij; Tum etiam quia in eodem Instrumento anni 1369., onus persoluendi procurationes, & subsidia Charitatiua, impositum fuit Abbati, non autem Vicario; Tùm deniquè, ac fortiùs, quia cautum fuit per pactum expressum, quod Monachus in Vicarium deputatus manuteneri deberet, aliorum Monachorum ad instar, in victû, & vestitu, & alijs omnibus necessarijs cum totali, & omnimoda subordinatione, & dependentia eiusdem Vicarij à suo Abbate, quæ omnes circumstantiæ de per se sufficiunt ad iustificandam vnionem plenariam, & subiectiuam, vt latiùs ostendimus *in Restrictu* §.22. *cum duobus segq.*

10 Cessante vlteriùs quacumque difficultate, quia Episcopus in eodem Instrumento anni 1369., de quo tempore, non superuento adhùc Tridentino Concilio, penès Episcopus residebat legitima facultas vniendi Ecclesias, & Beneficia, renouauit fauore Abbatis, & Monasterij donationem dictæ Parochialis Ecclesiæ de Rafol verbis amplissimis nedùm temporalia, sed etiam Spiritualia comprehendentibus ibi = *Donationis purè, & absolutè, SINE ALIQVO RETENTV, saluis præmissis dumtaxàt, omnes, & singulos redditus, fructus, prouentus, ac Iura, & ALIA VNIVERSA, ET SINGVLA, quæ Vicarius prædictus Secularis in eadem, & prædicta Ecclesia habere, & recipere consueuerat ratione, & causa alimentorum sui, & eius Familiæ, & alio sibi prætextu, & vigore dictæ perpetuæ Vicariæ pertinentia, & spectantia QVOVIS MODO &c. = Summ. dicto num.2. litt.I.*, qua stante amplitudine verborum comprehendentium quæcumque Iura ex qualibet causa, & ratione ad Ecclesiam donatam pertinentia cum ea declaratione = *Sine aliquo retentu* vanum est prætendere, quod vnio restricta fuerit ad temporalia dumtaxàt, vt demonstrauimus in Restricto §.25.

11 Minimè attenta responsione, quod si præfata concessio anni 1365. facta fuit ex sola causa finali subleuandi Monasterium ab angustijs, quas patiebatur pro manutentione Vicarij Secularis, & ob id indulta fuit facultas præsentandi Monachum Professum, qui contentus erat solo victu, & vestitu, dici non possit, quod vnio comprehenderet Spiritualia, dùm de fructibus tantùm temporalibus agebatur pro subleuando Monasterio, vt opponit contrarius Restrictus in §.22.; Angustiæ namque, quas patiebatur Monasterium, respiciebant quidèm causam finalem propter quam inita fuit conuentio, vt loco Vicarij Secularis deputaretur Monachus Professus, non indè tamen benè infertur exaduerso, quod concessio restricta solùm fuerit ad temporalia,

quan-

quando Littera Instrumenti ostendit, quod in concessione comprehendebantur omnia, & quæcumque iura quouis modo competentia *sine vllo retentu*, sicque stat benè simùl, quod causa finalis deputandi Monachum loco Vicarij Secularis prouenerit ab insufficientia reddituum, quodque in Monasterium vigore concessionis, & donationis translata fuerit Parochialis Ecclesia cum omnibus, & quibuscumque iuribus tàm Spiritualibus, quàm Temporalibus.

12 Inutili verò conatu suadere prætendit contrarius Restrictus in §.24. *cum tribus seqq.*, quod sequuta Erectione quinque Parochialium à Subdelegatis Apostolicis facta de anno 1534. cessauerit vnio à prædictis antiquis Instrumentis resultans, eo quià Parochiales fuerunt de nouo erectę independentèr ab antiqua Ecclesia de Rafol, quæ vnita fuerat Monasterio; Quandoquidèm præfata erectio expleta fuit à Subdelegatis Apostolicis per viam dismembrationis à Parochiali de Rafol, non autèm per viam erectionis absolutæ, atque independentis, vt in contrario præterito *Summ. num.1. litt. A.* ibi = *A dicta Matrice Parochiali dicti Oppidi de Rafol dismembramus, & in Parochiales Ecclesias erigimus &c.* = Vndè sicuti dismembratio dicitur stricti iuris, & extendi nequit vltra expressa, ità nulla facta mentione de dismembratione Curæ habitualis competentis Monasterio, dismembratio, & erectio nouarum Parochialium est intelligenda quoad exercitium Curæ actualis assignatæ, ac diuisæ intèr tot Ecclesias Filiales de nouo erectas, vt consuleretur necessitati Populi administratione Sacramentorum indigentis, nullo modo verò irrogare potuit præiudicium habituali curæ penès Monasterium existenti, nèc destruere ius ei competens in vim plenariæ, ac subiectiuæ vnionis, vt in præcisis terminis firmauit *Rot. in Nullius, seù Celsonen. Parochialis super bono iure* 3. *Decembris* 1728. §.*Minùsque coram Reuerendissimo P. D. Aldrouando* iuxtà verba transcripta in nostro *Restrictu* §. 26.

13 Independentia verò Parochialium de nouo erectarum ab antiqua Matrice, desumi nequit ex causis propter quas per Subdelegatos Apostolicos facta fuit dismembratio, & respectiuè noua erectio, scilicèt ob Christifidelium excrescentiam, & Loci distantiam; Quia Causæ prædictæ potuerunt quidèm operari, vt exercitium curæ Animarum totalitèr priùs incumbens Vicario Ecclesiæ de Ràfol attenta numerositate Populi, & distantia Loci, distribueretur inter plures nouos Vicarios Parochijs erigendis præficiendos, nulla tamen suberat exindè necessitas, quod habitualis cura vigore vnionis radicata in Monasterium, cum ænormi eius præiudicio auferretur, & vnacum actuali cura transferretur in Parochias nouas, quia necessitati, & Spiritua-

 tua-

tualibus indigentijs Populi satis consultùm remanebat, etiamsi habitualis cura, vt priùs existeret penès Monasterium.

14 Quodque reuera Subdelegati Apostolici erigendo nouas Parochias in Valle de Alfandech, non intellexerint auferre Parochiali Ecclesiæ Matrici de Rafol habitualem curam, sed solùm voluerint dismembrare à dicta Parochiali, & in plures nouas Parochiales diuidere actualem curam, fit euidens, attenta illa circumstantia, quod ipsi non assignarunt nouis Vicarijs certam Dotem, aùt determinatos fundos, ex quorum fructibus possent congruè substentari, sed Abbati, & Monasterio iniunxerunt onus præbendi annuum determinatum redditum ipsis Vicarijs, vt proindè, si Vicario Animarum curæ incumbenti quoad exercitium, fuit solùm assignata certa portio, & reliqui fructus fuerunt attributi Monasterio, fateamur oportet pernecesse, quod penès ipsum Monasterium illæsa remanserit habitualis cura, & ab eo seiuncta solùm fuerit actualis per Vicarium exercenda, vt probant in his terminis Authoritates indiuiduæ allegatæ in *Restrictu* §.27.

15 Potissimè quià in eodem actu dismembrationis præseruatæ remanserunt fauore Abbatis, & Monasterij omnes Decimæ, ac Primitiæ loci *de Taberna*, & totiùs Vallis de Alfandech *dicto præterito Summario num.3. litt.B.*, quæ Decimarum, & Primitiarum assignatio, & appropriatio facta Mensæ Monasterij, & quidem contradistinctiuè à certa, & determinata fructuum portione Vicario attributa, patefacit ad euidentiam vsque habitualem curam resedisse pœnès Monasterium, nèc ab eo avulsam fuisse per dismembrationem, ac respectiuam Erectionem nouarum Ecclesiarum Parochialium.

16 Nèc quidquam concludit, & potiùs retorquetur ad hominem argumentum contrarij *Restrictus in* §. 28., quod nempè Apostolici Delegati erigendo nouas Ecclesias Parochiales, iniunxerint, vt noui Rectores gaudere deberent omnibus præeminentijs, & prærogatiuis, quibus perfrui consueuerant cæteri Rectores aliarum Parochialium in Diœcesi Valentina, ex quo inferri prætenditur, quod in eosdem nouos Parochos tàm actualis, quàm habitualis Cura translata fuerit; Quotiès namque nouarum Parochialium erectio facta fuisset independenter ab Ecclesia Matrice cum translatione Curæ tùm actualis, tùm habitualis, vtique noui Parochi eo ipso habere debuissent illas met prærogatiuas, quibus potiebantur cæteri Parochi Diœcesis, & remansisset omninò superflua expressio in actu dismembrationis facta, ex qua specificatione proindè resultat, quod Apostolici Delegati concedere voluerunt nouis Parochis prærogatiuas competentes alijs Curatis Diœcesis, etiamsi apud ipsos nouos

Pa-

Parochos exercitium dumtaxat Curæ Animarum, non verò habitualis Cura permanere deberet.

17 Reseruatio verò Iurispatronatus, & præsentandi Personas idoneas fauore Abbatis, & Monasterij contenta in eodem actu dismembrationis, referibilis est ad Ius nominandi Abbati competens in Parochijs vnitis, & non excludit, quod habitualis Cura pœnès Monasterium remanserit; Enunciatiua siquidem Iurispatronatus est compatibilis cum plenaria, & subiectiua vnione, quià referri potest ad præfatum Ius nominandi Vicarium, quo stante Abbas, licèt impropriè, dicitur quodammodò Patronus, & habet Iuspatronatus Parochiæ suo Monasterio vnitæ, vt benè aduertit *Rot. dec.485. num.22. part.4. tom.2., dec.330. sub num.20. §. Præterea cum seqq. part.9. tom.2. recen., dec.947. num.5. coram Emerix. Iun., & in Aurien. Parochialis de Rozamonde* 29. *Aprilis* 1720. §. 9. *coram bon. mem. de Gamaches*.

18 Si quæ autem superesset adhùc difficultas circa vnionem plenariam, & subiectiuam Parochialium de quibus agitur, ea remaneret sublata ex inconcussa obseruantia plusquam centenaria, nedùm affirmatiua, verùm etiam negatiua nobis ostendente, quod Vicariæ de nouo erectæ à Subdelegatis Apostolicis, fuerunt semper prouisæ ad simplicem deputationem, seù nominationem Abbatis, & Monachorum, cum sola Ordinarij approbatione ad Curam Animarum, quodque nunquam fuerunt collatæ per S. Sedem in mensibus reseruatis, quæ obseruantia vitrò conuincit vnionem plenariam, & subiectiuam, cum non sit suasibile, quod Reuerendissimi Archiepiscopi Valentini admittere voluerint per tàm diuturnum tempus nominationes Abbatum in præiudicium proprij Iuris conferendi, & quod nulla contigerit vacatio in mensibus reseruatis, & collatio Apostolica in decursu quatuor Seculorum, & vltrà, proùt expendendo vim obseruantiæ tàm affirmatiuæ, quàm negatiuæ pro constabilienda vnione, firmant auctoritates plena manu cumulatæ in *nostro Restrictu* §.29. & 30.

19 Dissimulant Domini contrarij Defensores in eorum hodierno restrictu hanc obseruantiam, & in Responsionibus fortasse adducent in medium geminas prætensas collationes Apostolicas pluresque alias collationes ab Ordinarijs liberè factas; Verùm præuentiuè in *nostro Restrictu* § 31. *cum seqq.* ostendimus assertas Collationes Apostolicas nullius esse ponderis, deficiente illarum effectuatione, ac necessaria probatione, quod fuerint expletæ cum scientia, & patientia Reuerendissimi Abbatis, & Monasterij; Collationes, verò, quæ dicuntur ab Ordinario liberè factæ non subsistunt, quià, vt constat ex *contrario præterito Summario num.8. & 9.*, actus exaduerso adducti, qui canonizan-

 tur

tur pro liberis Collationibus Ordinarij præseferunt solùm adiudicationem Vicariæ ad nominationem, & præsentationem Abbatis decretam; Huiusmodi autem Collationes Ordinariorum ad nominationem, & præsentationem Abbatis sub quarum Cathegoria recensentur etiam singuli actus exhibiti à Parte Aduersa *in præterito Summario num.* 13.14.15.*&* 16. tantum abest, quod excludant vnionem plenariam, & subiectiuam, vt potiùs illius effectuationem ad euidentiam conuincant, quemadmodum præuentiuè ostendimus *in Restrictu* §.33.

20 Debilissimum præsidium constituunt Domini exaduerso scribentes in ea circumstantia quod Archiepiscopus Valentinus anno 1576. exequendo mandatum sibi à sa. me. *Gregorio XIII.* iniunctum, auxerit Dotes dd. Parochialium, ex quo inferri prætenditur dictum Archiepiscopum agnouisse illas fuisse in statu perfecto erectas, independenter à Monasterio quoad Curam Animarum; ex ipso namque *contrario præterito Summario n.*2. *litt.F.* apparet, quod Archiepiscopus augendo Parochialibus Dotem, illam non constituit in certis, & determinatis fundis, ex quibus Parochi possent percipere Iure proprio fructus pro Congrua substentatione, sed auxit Dotem vsque ad libras centum persoluendas à Reuerendissimo Abbate, & Monasterio ibi *Videtur prædicta Parochialis septuaginta prætereà Libris dotari debere, vt omnes summam attingant centum librarum, quas septuaginta libras persoluere teneantur, ac persoluant Abbas, & Conuentus Monasterii de Valledigna ratione Primitiarum, quas ex præfato Oppido Tauerna percipiunt &c.* Si ergò dos nouis Parochis à Reuerendissimo Archiepiscopo assignata non consistebat in certis fundis, ex quibus ipsi perciperent fructus Iure proprio, sed consistebat in determinata quantitate ab ipsis Parochis è manibus Abbatis percipienda correspectiuè ad primitias integrè ad ipsum Abbatem, & Monasterium pertinentes, ab huiusmodi assignatione Dotis malè desumitur independentia Parochorum à Monasterio quoad Curam Animarum, quinimò exindè resultat totalis dependentia, dùm Parochi eorum Congruam non Iure proprio, sed ab ipso Abbate cæterorum fructuum, & omnium Primitiarum possessore consequi debebant.

21 Reiteratæ confessiones Abbatis, & Monachorum, quas extollit contrarius restrictus in §.32. circa pertinentiam Iurispatronatus fauore Monasterii, & circa qualitatem collatiuam Parochialium in Titulum perpetuum, non excludunt plenariam, & subiectiuam vnionem à primordialibus Instrumentis Concessionum, & à pluribus conuincentissimis demonstrationibus hactenùs iustificatam, quia, vt sepè diximus, & constantissimè repetimus, denominationes Iurispatronatus, licet impropriè,

sunt

funt referibiles ad Ius nominandi Vicarium in Parochiis vnitis competens Abbati, vt probant auctoritates adductæ supra in §.17.; Qualitas verò perpetuitatis, aut collationis fieri solitæ in Titulum perpetuum, eo minùs aduersatur subiectiuæ vnioni, quia stat benè simul, quod Vicaria ex aliqua particulari lege, aut ex qualitate speciali conferri debeat inTitulum perpetuum, & quod sit plenariè, ac subiectiuè intra Monasterio, vt ostendimus in restrictu §.39., & supra in §. 5.

22 Pariformitèr subsistit alterum essentialissimum caput subreptionis literarum P. Soler ob reticitum Pontifici Decretum, quo Reuerendissimus Vicarius Generalis *die* 19. *Nouembris* 1729. declarauerat nutualem, atque amouibilem controuersam Vicariam, in exequutionem Breuis *Gregorii XV.*, quæ taciturnias reddere saltem potuit faciliorem Pontificem ad concessionem Gratiæ, quam ipse Pontifex, vel non concessisset, vel difficilius ad eam inclinasset, quatenus fuisset certior effectus de præfato Decreto, vt egregiè firmat Decisio R. P. D. Ponentis §. *Ratio*.

23 Ad abstergendam verò maculam subreptionis ex dicta reticentia promanantis quidquam non refragatur, quod etiamsi Decretum Vicarij Generalis fuerit deductum ad notitiam bonæ me: R.P.D. de Valentibus tunc Datarij, nihilominus ipse decreuerit lacerationem *nihil transeat*, & relaxationem supplicationis à P. Soler exhibitæ, vt opponit contrarius restrictus in §.24. Eatenùs quippè retardari non potuit expeditio litterarum sub motiuo prædicto, quia tùnc Agens Reuerendissimi Abbatis, & Monasterii non habebat in promptu Bullam Gregorianam, & Decretum Ordinarii, & ideò R.P.D. de Valentibus relaxare voluit supplicationem pro expeditione Gratiæ à P. Soler petitæ, quin ex his quę gesta fuerunt in Dataria, desumi ualeat bonum Ius eiusdem P. Soler, nam in Dataria Apostolica tamquam in Tribunali gratioso non examinantur merita Causę, nec assumuntur partes Iudicis, sed conceduntur Gratiæ, signanter impetratorię, omnibus qui eas petunt ad hoc vt deinde in Tribunalibus Iustitię, aut coram Exequutore dignoscatur, an Gratia concessa debeat exequutioni mandari, nec ne, vt benè ponderat *Rota in Auximana Iurispatronatus* 8. *Martii* 1720. §. *Frustra autem coram bonæ memoriæ Marymon.*

24 Frustra nituntùr Domini contrarij Defensores in eodem §. 34. eorum Restrictus Gratiæ reualidatoriæ à P. Soler obtentæ, quià cum de tempore, quo reportata fuit Gratia reualidatoria, Procurator Monasterij jam opposuerit judicialiter in actis defectum subreptionis, & obreptionis primæ Gratiæ, ob reticitum Decretum Vicarij Generalis, Gratia reualidatoria ineffi-

ficax

ficax remansit, & non potuit assumere vim retrotractionis ad Gratiam principalem, quidquid secùs dicendum foret, vbi de tempore obtentæ Gratiæ reualidatoriæ non fuisset adhuc judicialiter in actis oppositus defectus primæ Gratiæ, vt distinguendo vnum Casum ab alio, firmant auctoritates allegatæ in nostro *Restrictu* §. 50.

25 Multoque minùs euitari potest vitium subreptionis eo sub obtentu, quod prædictum Decretum Vicarij Generalis reddens manualem statum perpetuum, & collatiuum Vicariæ, de qua disceptatur, tamquam nullum, & irritum, exponendum non erat Pontifici; Quandoquidem Reuerendissimus Vicarius Generalis non immutauit de proprio capite Statum Vicariæ de perpetuo in manualem, sed solùm illam declarauit manualem, non verò perpetuam in exequutionem Constitutionis *Gregorij XV. nostro præterito Summario num. 5. litt. C.*; ac propterea nil aliud gessit, quàm explicare id, quod tacitè inerat, & fuerat dispositum in eadem Constitutione.

26 Ardua verò inspectio, quam intendunt assumere Domini contrarij Defensores in eorum *Restrictu* §. 42. *cum seqq.*, circa subreptionem, & obreptionem dicti Breuis *Gregorij XV*, ad cuius exequutionem processit Vicarius Generalis, est manifestè intempestiua, & non excusat litteras P. Soler à vitio subreptionis ob non factam mentionem præfati Decreti, & Constitutionis *Gregorii XV*. Est profectò intempestiua, quià cum Breue Gregorianum sit munitum Clausula = *Sublata, & Decreto irritanti* = nisi priùs aduersùs ipsum obtineatur consuetum remedium aperitionis oris, prætendi non potest, quod hoc Sac. Tribunal canonizet dictum Breue pro subreptitio, & obreptitio, dum clausula sublata, & decretum irritans in Apostolicis Constitutionibus adiectum tollit facultatem aliter judicandi quibuscumque Iudicibus, quacumque auctoritate pollentibus; Interim verò donec aduersùs dictum Breue concedatur oris aperitio, illud permanet in statu validitatis, & subreptio litterarum ob non factam mentionem dicti Breuis remanet inexcusabilis, quià non ad P. Soler, sed ad Pontificem spectabat dignoscere, an idem Breue dici deberet validum, seù potiùs nullum, & subreptitium, vt præuentiuè ostendimus *in Restrictu* §. 48.

27 Cæterum ex abundanti (non abscedendo ab expressa protestatione, quod inspectio subreptionis, & obreptionis Breuis assumi non potest in examine præsentis causæ) firmiter substinemus, insubsistentia penitùs esse omnia motiua contraria, ex quibus erui prætenditur subreptio, & obreptio, & sanè absque vllo fundamento constabilire prætendunt Domini contrarij Defensores assertam subreptionem Breuis, ex quò non fuerit narra-

tum

rum Pontifici, quod Parocchiales in earum origine fuerant Seculares; Quià, stante illarum vnione ad Monasterij Mensam, & successiua concessione anni 1369., quod ad illas in perpetuum nominari possent Monachi Professi dicti Monasterij obsoleta qualitas originariæ secularitatis, etiamsi narrata fuisset Pontifici, nullum præbuisset obicem Indulto manualitatis.

28 Debilioris ponderis est altera exceptio ad inducendam subreptionem Breuis promota in contrario *Restrictu* §. 43., ex quo reticitum fuerit, quod in Transactione anni 1369. expresse, & per viam pacti stipulata fuerat perpetuitas tituli, & status Secularis Parocchialis de Rafol, ac illius titulus collationis, Perpetuitas namquè tituli non fuit occultata, sed potiùs expresse narrata Pontifici verbis illis = *vt Rectoriæ, siuè Vicariæ &c. quæ nunc per Rectores, & Vicarios perpetuos, & Monachos Professos dicti Monasterij reguntur, & gubernantur &c. nostro præterito Summario num*.4. *litt.B., & hodierno Summario Partis num.* 3. *pariter litt. B.*, non subsistit autem in facto, nec vllibi iustificatur, quod in Transactione anni 1369. stipulatus fuerit expresse, & per viam pacti status Secularis Parocchialis de Rafol, dum in dicta concessione nec verbum quidem legitur, quod importet præseruationem status Secularis, de cætero incompatibilis cum ea conuentione, quod Monasterium in perpetuum nominare posset Monachos Professos, ideoque reticentia primæui status Secularis causare non poterat subreptionem.

29 Maiori laborat insubsistentia mendicatum illud subreptionis motiuum in contrario *Restrictu* §.44. ex eo petitum, quod sub inuoluero verborum expositum fuerit Pontifici peti confirmationem Decretorum Capituli Prouincialis, ob necessariam remotionem obstaculi quarumdam litterarum *sa: me: Pauli V.*, quæ ad alia quidem pertinebant Decreta, minimè verò ad illud, quo mediante per obliquum attentabatur suppressio status collatiui Ecclesiarum Parocchialium. Siquidem tam in precibus exhibitis Sacræ Congregationi Episcoporum, & Regularium, quàm in ipso Breui Gregoriano fuit quidem expositum, quod *multa* ex Decretis Capituli Prouincialis aduersabantur litteris *Pauli V., vt in hodierno contrario Summario num*.2. ibi = *Cum multa ex ipsis contrarientur tenori Breuis Apostolici &c.* = *Et dicto Summario num.* 3. *litt.C.* ibi = *Cum autem sicut eadem expositio subiungebat, multa ex Statutis, seù Decretis huiusmodi litteris fel. record. Pauli Papæ V. &c. contrarientur &c.* Vndè cum obstaculum litterarum *san. mem. Pauli V.* non fuerit expositum relatiuè ad omnia Decreta, quorum confirmatio petebatur, sed solùm ad *multa* prorsùs à veritate aberrat, quod

Ponti-

Pontifici sub inuolucro verborum fuerit suppositum, quod necessatia foret confirmatio Decreti manuales reddentis Vicarias prò remotione obstaculi quarumdam litterarum *san. mem. Pauli V.*

30 Poterat omitti exorbitantia Breuis *Gregorii XV.* ex eo desumpta in contrario *Restrictu* §.45., quod nulla iniuncta fuerit obligatio soluendi quindennia loco annatarum; solutio namque fauore Cameræ Apostolicæ, prò quindennijs tunc demùm iniungi solet, quandò agitur de vnione Beneficiorum cum totali extinctione, ac suppressione tituli Beneficij, & in his terminis loquitur *D. Aduocatus Lopez de Quindenniis Ecclesiasticis cap.38. num.37., & seqq. exaduerso allegatus*; Secùs autem quandò nec supprimitur, nec extinguitur Beneficij titulus, & solùm decernitur, quod Possessores ipsius Beneficij non sint perpetui, sed amouibiles; Et cæteroquin proposita exceptio debiti quindenniorum non pertinet ad præsentem quæstionem, in qua vnicè disceptatur, an P. Soler ad euitandam subreptionem suarum litterarum, teneretur exponere Pontifici, quod Vicaria, de qua res est in exequutionem Breuis *Gregorii XV.* declarata fuerat manualis.

31 Prò eo, quod attinet ad inobseruantiam, & non vsum Breuis Gregoriani, præuentiuè ostendimus in *Restrictu* §.44. *cum seq.* quod vbi Constitutio Apostolica non concernit simplex Priuilegium cui per non vsum renunciatum dicitur, sed emanauit per viam legis vniuersalis prò adæquato, & recto Gubernio totius Ordinis Cisterciensis, & ex justa, & rationabili Causa, vt Monachi semper obstricti sint obedientiæ proprij Superioris, exequutioni demandari debet quandocumque non obstante contrario vsu, desuetudine, ac longæua inobseruantia, vt in terminis distinguendo firmat *Rot. in Calaguritana Quartæ Funeralis de Naxera* 19. *Februarii* 1725. §. *Atque hinc coram bo.me. Cerro*.

32 Perspensa distinctione inter Gratiam per viam legis vniuersalis *motu proprio* emanatam, & Gratiam, quæ indulgetur ad instantiam Partis; Quando enim Pontifex, siue motu proprio, siue ad instantiam Tertij, aliquid mandat prò Bono Regimine alicuius Religionis, & per viam legis vniuersalis ab omnibus adimplendæ, Constitutio Pontificis abrogari nequit per non vsum, attenta præsertim *clausula sublata, & Decreto irritanti* in eadem Constitutione adiecto, cuius virtus est infringere quemcumque non vsum, aut etiam contrarium vsum, ad tradita per *Rotam decis.*260. *num.*15., *& seqq. part.*17. *decis.* 418. *num.*7., *& seq q. part.*18. *Recent.* cum alijs adductis in nostro *Restrictu* §.44.

33 Aucto-

33 Auctoritates verò allegatæ in *contrario Restrictu* § 48. loquuntur in terminis Gratiæ concessæ per modum Priuileg j, eaque propter non sunt applicabiles ad Casum nostrum, in quo *Gregorius XV.* non confirmauit per viam Priuilegij, aut simplicis gratiæ Decretum Capituli Prouincialis editum pro manualitate Vicariarum, sed per viam Statuti Generalis ab Ordine Cisterciensi pro Religionis Bono inuiolabilitèr seruandi, & in his terminis abrogata dici nequit Constitutio Pontificia per non vsum, & Inobseruantiã quantumujs temporis longissimi, vt explicat *Gloss.* exaduerso allegata *in Cap. Accedentibus verb. per 40. annos de Priuileg.* ibi = *Argue contra 25. quæst. 2. Caus. 1., & 2., vbi dicitur, quod Priuilegia Ecclesiarum, & Monasteriorum cunctis temporibus inuiolata permaneant, sed illud loquitur de alio Priuilegio, quod potiùs pertinet ad libertatem, & Immunitatem Ecclesiarum DE GENERALIBVS STATVTIS, QVIBVS ECCLESIA REGITVR, ET ILLA INTEMERATA SEMPER ERVNT.*

34 Cæteris debilius est postremum diffugium exaduerso constitutum in eo, quod Breue *Gregorij XV.* reuocatum omninò remanserit *ex Regula 13. Cancellariæ*; Quia prædicta Regula præsefert quidem reuocationem Vnionum, & suppressionum, aut extinctionum, quæ non habuerunt effectum in Vita Pontificis Concedentis, sed loquitur de suppressionibus, & extinctionibus Tituli, & Corporis ipsius Beneficij, quæ tamquàm necessaria media pro habenda vnione, illam præcedere debent, vt explicat *Mandos. ad eamdem regul. 12. hodiè 13. Cancellariæ quæst. 1. sub num. 3. vers. Ex præmissis* ibi = *Ex præmissis patebit; quod vnio est quid Generale continens sub se plures species veluti suppressionem, & extinctionem tamquàm requisita antecedentia; Vndè dicendo vnionem in suo amplo, & potiori significatu, intelligimus etiam suppressionem, & extinctionem tamquàm antecedentia, seù præambula ad vnionem perficiendam, vel potest dici, quod vnio illas contineat tamquàm accessorias, & in consequentiam; Nam si fit vnio in suo potiori significatu præsupponitur, quod supprimatur, & extinguatur primum Beneficium, & illius denominatio, cùm illud, quod vnitur, sumat naturam illius, cui fit vnio,* = & melius declarat *Rota decis. 1. num. 3. tit. de Parochis coram Crescentio* ibi = *Item, & secundo, quià regula loquitur, quando aliquod corpus Beneficij extinguitur, & alteri applicatur.*

35 Quotiès igitùr Breue *Gregorij XV.* non suppressit, nec extinxit Vicarias ipsas, sed solùm illarum perpetuitatem reduxit ad manualitatem, prætendi non potest, quod remanserit subiectum reuocationi contentæ in *Regul. 13.*, quia perpetuitas, vèl manua-

nualitas non afficit substantiam Beneficij, eiusque Titulum, sed respicit qualitatem inhærentem Personæ, quæ Beneficium possidet, ideòque reductio Status Vicariarum de perpetuis ad manuales non inducit suppressionem, & extinctionem ipsarum Vicariarum propter quam locum sibi vindicare possit *Regul.13. Cancellariæ*.

36 Non attenta replicatione, quod finis condendi eamdem regulam, fuit solùm, ne minueretur facultas conferendi in Collationibus,& ne Iuribus Sanctæ Sedis præiudicium inferatur, ex quo deducere satagit *contrarius Restrictus in* §.50., quod cùm reductio Vicariarum de Statu perpetuo ad manualem, irroget præiudicium Ordinario Collatori, & Sedi Apostolicæ subiacere debeat dispositioni *Regulæ* 13.; Cùm enim, vt superiùs probauimus *Regula* 13. loquatur de suppressionibus, & extinctionibus ipsorum Beneficiorum, cessante huiusmodi suppressione, ac extinctione, cessare debet ipsa Regula, non obstante, quod sit verificabile idem præiudicium, etiam in casu reductionis Beneficij ad manualem Statum, quia Regulæ Cancellariæ tamquàm odiosæ nequeunt extendi de vno casu ad alium ex animaduersis per *Barbos. de Offic., & Potest. Episcopi part.3. allegat.57. sub num.61., Paris. de resignat. lib.3. quæst.5. num.17., & lib.11. quæst.2.num.8. Gonzal. ad regul.8. Cancell. §.6. proemiali num.13., Murga de Benef. quæst.2 sub num.295.vers.Imò facere, Rota decis.23.num.6. tit de Præbend. coram Cassador., & decis.1204. num.17. coram Emerix Iun.*

37 Fortius reflectendo, quod in subiecta hypothesi reductio Vicariarum de Statu perpetuo ad manualem, vtpotè respiciens obseruantiam exactam Disciplinæ Regularis, vt Monachi semper subiaceant obedientiæ sui Superioris fuit sancita ex Causa necessaria tendente ad perfectionem Status Religiosi, ac redundante in augumentum Diuini Cultus, ideòque comprehendi non poterat sub *Regula* 13.*Cancellariæ*, vt præter adductos in nostro *Restrictu* §.54., firmat *Gonzal. ad Regul. 8. Cancellariæ Gloss.5. §. 7. num. 49. Mussobr. in Prax. habend. concurs. prælud.13. dub.4. num.6., & num.12., Lotter. de Re Benef. lib.1. quæst. 29. sub num. 15., Leuren. in for. Benef. part.3. sect.2. cap.1. quæst. 941.n.11., Adden. ad Gregor. decis. 419. num 6. littera A., Rota decis. 7. per tot. tit. de Priuileg. coram Mohedan.*

38 Omnia, quæ dicuntur *in contrario Restrictu* §.58. *cum pluribus seqq.* circa prætensam capacitatem Regularium ad obtinendas Parochiales Ecclesias in titulum perpetuum, non sunt præsentis inspectionis, quià hodiè solùm quæritur, an litteræ P. Soler remanserint subreptitiæ ob prætermissam narratiuam Decreti editi à Vicario Generali super manualitate Vicariæ in

exequutionem Breuis *Gregorii XV.*: Ac propterea superfluum est inquirere de illius capacitate, aut incapacitate ad effectum obtinendi Parochialem in titulum; Indeq; nil officit, quod Regulares obtinentes in titulum Beneficia Parochialia non subsint amplius obedientiæ Abbatis, nec sint amouibiles, cum tunc habeant Episcopum in locũ Abbatis, ex authoritatibus adductis in *cont. Restrictu* §.64., & 65.; Illæ namq; procedunt in ea suppositione, quod agatur de Monacho qui possideat legitimè in Titulum Ecclesiam Parochialem, sed ad hunc effectum necessaria est Apostolica dispensatio, sine qua Beneficia secularia, quale ad sensum DD. ex aduersò scribentium erat in origine Vicaria de Rafol, non possunt concedi Regularibus, vt firmat *Rot. decis. 123. tota coram clar. mem. Cardinali Caprara*; Vndè cum Vicaria de Taberna vigore antiquæ concessionis, seù donationis anni 1363. obtenta semper fuerit à Regularibus absque Apostolica dispensatione, id censeri debet euenisse ratione plenariæ vnionis Vicariæ fauore Monasterij, à qua desumi poterat vnicus legitimus Titulus ad effectum deputandi Monachum regimini, & gubernio eiusdem Vicariæ.

39 Concludendo igitur ex rationibus hactenùs adductis, manifestum remanet, quod litteræ P. Soler nequeunt saluari ab euidenti subreptionis, & obreptionis labe, tùm ob narratam perpetuitatem Vicariæ, illiusque reseruationem vigore *Constitutionis* 33. *Sancti Pij V.* nunquam verificabilem, attenta plenaria, & subiectiua vnione, tùm etiam ob reticitum Decretum super manualitate Vicariæ à Vicario Generali editum in exequutionem Breuis *San. mem. Gregorij XV.*, quodque proindè persistendum veniat in decisis, omissa indagine circa subreptionem, & obreptionem dicti Breuis, quod habet pro se omnimodam præsumptionem validitatis, & Iustitiæ, donec in suo congruo Iudicio, præuia Oris aperitione, non declaretur subreptitium, & nullum.

40 Præiudicium verò Datariæ Apostolicæ, aut nullo modo verificatur, aut etiamsi verificabile foret, non caderet sub hodierna disputatione, sed penderet à reuocatione dicti Breuis, seù à declaratione, quod illud fuerit nulliter, ac subreptitiè obtentum, ad quem effectum semper salua, & illæsa remanent Iura Datariæ, quæ ad sui libitum reportare valet aperitionem Oris aduersùs idem Breue, ac successiuè obtinere à Iudice declarationem quod controuersæ Vicariæ sunt adhuc in statu perpetuitatis, vt priùs; Interim verò non est Iustitiæ, ac æquitati consonum, quod P. Soler sub clypeo, & obtentu præiudicij non inferendi Datariæ, assequatur intentum exequutionis litterarum, quæ saluari nequeunt ab innegabili subreptione, quotiès non reuocetur, aut subreptitium declaretur præfatum Breue Gregorianum; Ea præsertim vrgente animaduersione, quod si tàm de facili permitteretur Monachos Professos re-

luctan-

luctante proprio Superiore, admittendos esse ad Vicarias in Titulum perpetuum obtinendas, oriretur exindè Religionum euersio, & regularis obedientiæ perniciosa concussio, vt alias exclamabat *Stephanus Episcopus Tornacensis*, qui postquam rogauerat Pontificem *Innocentium Tertium*, vt se opponeret perpetuitati Vicariarum, quam Canonicos Regulares velle introducere, fuerat veritus, agens de perpetuitate Parochialium in Canonicis Regularibus, ità concludit = *Si pestis ista conualuerit, perit ordo Canonicus, pereunt, & Sanctissimorum Patrum regularia Instituta, soluuntur fines, & funes obedientiæ, & erunt Collegiis nostris tot Abbates, quot Presbyteri Parochiales*, vt refert *Reuerendissimus P. Abbas Benuenuti in suo Tractatu de Capacit. Canonicor. Regular. ad Beneficia Ecclesiastica Secularia art. 5. §. 6. sub n. 1. §. Stephani Tornacen. pag. mihi 57.*

Quare &c.

Franciscus Corazza } *Aduoc.*
Petrus Guerra }
Ioannes Andreas Rinaldus.

R. P. D.

CRESCENTIO

Valentina Vicariæ.

INTER

Rm̃um Abb., & Regale Monasterium B. Mariæ Virginis Vallisdignæ Ordinis Cisterciensis, nec non R. P. Jacobum Crespo Vicarium temporalem Eccl. Parochialis Loci de Taberna,

E T

Datariam Apostolicam, nec non P. Vincentium Soler Monachum Professum eiusdem Ordinis, & Monasterij.

F

Restrictus Responsionis Facti, & Iuris.

Typis Leone, & Mainar di 1734.